



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Approbationes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

## A P P R O B A T I O

D. DE FERRIERE, *Parisiensis Consultissima Facultatis Antecessoris  
Primicerii, & Comitiss.*

**Q**UÆ prælegi ex Opere, quod inscribitur, *Expositio Juris Canonici, per  
Regulas Naturali Ordine digestas, usuque temperatas*, mihi visa sunt  
utilissima; facilem quippè viam iis aperiunt, qui veram perfectamque Cano-  
nici Juris peritiam adipisci desiderant. Verùm nihil aliud expectandum erat  
ab eximio illius Autore D. JOANNE PETRO GIBERT, *Doctore Theo-  
logo & Canonista*, qui præclarum aliud Opus circa prima Juris Canonici prin-  
cipia paucis abhinc annis edidit Gallico idiomate elaboratum. Datum  
PARISIIS, pridè Kal. Novemb. anni MDCCXXXIV.

DE FERRIERE, *Parisiensis Consultissima  
Facultatis, Antecessor, Primicerius, & Comes.*

## A P P R O B A T I O

D. JOANN. BAPT. DALLOZ, *J. U. D. Archipresbyteri, & Offic.  
Metropol. Lugdunensis à parte Burgundia Comitatus.*

**Q**Uicumque inclytum Dominum JOANNEM PETRUM GIBERT,  
Parisiensem Doctorem Theologum peritissimum noverit, cujus no-  
men pro meritis ubique in gratia; aliquid aut contrà bonos mores, aut  
contrà Catholicam, Apostolicam, Romanamque Fidem, aut contrà sanam  
Ecclesiæ Gallicanæ Doctrinam, in ejus Operibus contineri, aut ab eodem  
in lucem prodiri posse, proculdubio non suspicabitur. Sedulò siquidem  
perlegimus *Corpus Juris Canonici*, in Tres Tomos divisum, ab eodem peri-  
tissimo Doctore digestum, dilucidatum, & enucleatum, ac in lucem  
nuper editum; nihil in eo certè tale reperimus, sed omnia Orthodoxæ Fidei  
consona, omnia tanto Authore digna, & Doctorum omnium laude &  
applausu dignissima; multùmque in futurum & Tyronibus, & studiosis, &  
etiam Juris Canonici Doctoribus profutura. Ità censet, & opinatur, ità spe-  
rat, peritissimi Doctoris prædicti addictissimus Cliens. SEPTEMONCELLIS  
Idibus Decembris, anno reparatæ Salutis MDCCXXXIV.

JOAN. BAPT. DALLOZ, *J. U. D. Archipresbyter & Offic.  
Metropol. Lugdunensis à parte Burgundia Comitatus.*

## A P P R O B A T I O

D. SALMON, *Doctoris, Socii Sorbonici, ac Bibliotheca Sorbonica Præfecti.*

**N**OVUM hunc Clarissimi Auctoris laborem plurimùm iis profuturum esse  
confido qui *Juri Canonico* dant Operam. Etenim etsi integrum Opus  
legere non licuerit; quod tamen legi, & laude & luce dignissimum visum  
est. In eo Vir eximiâ Jurium omnium Scientiâ instructus, similem ei posuit  
industriam, quam, probante & gratulante universâ Literatorum Republica, in

Tom. 1.

c 2

plu-

plurimis aliis Operibus à se vulgatis exhibuerat. Habuisset fanè Jurisprudentia-  
tùm Sacra tüm Civilis quod meritò huic succenseret, si quam semper tanto-  
perè excoluerat, provectior etate factus immerentem neglexisset. Est autem  
quod ipsa jam gratuletur sibi, quæ nacta sit in eo & honoris vindicem sui  
& tutorem dignitatis; siquidem Sapientissimus Auctor optima quæque &  
præstantissima in Scripturis Sacris, in Sanctis Patribus, in Antiquis ac Novis  
Ecclesiæ Doctoribus & Jurisperitis, exquisito limatæ censuræ judicio delegit &  
ordine recto disposuit. Ad hæc non vulgaris accessit in his quæ difficulta-  
tem aliquam patiuntur dexteritas & solertia, quibus res sic attemperat, ut  
nec remissiùs de his, nec arctiùs æquo scribere in animo habens, ad eum  
cuncta redigere tentaverit modum, quem recta ratio Christianæque Leges  
sapientissimè fixerunt. Quare nulli non, mihiq; inprimis optandum vide-  
tur, ut tam præclarum Opus quàm citiùs Publici Juris fiat. Datum PARISIIS  
quinto Kal. Februarii, anno Christi MDCXXXV.

SALMON, *Facultatis Parisiensis Doctor, Socius  
Sorbonicus, ac Bibliothecæ Sorbonicæ Præfectus.*

## EPISTOLA

AMPLISSISSIMI VIRI

D. ESPIARD DE SAUX,

*In Senatu BISUNTINO Insulati Præsidis, circa Librum cui Titulus,  
CORPUS JURIS CANONICI, Authore D. JOAN. PETRO GIBERT,  
Doctore Theologo, scripta ad AMICUM.*

Quæsiisti à me, *Clarissime Domine*, quid sentiam de Libro qui inscribi-  
tur, CORPUS JURIS CANONICI &c. cujus Tomus Primus recens  
prodit. Quid de eo judicem, liberè dicam. Opus est, ut ego quidem  
existimo, præstantissimum, dignumque omninò Doctissimo, cui dicatum est,  
Magistratu. Magna equidem in fronte Operis pollicitus est Author eximius,  
sed non vano certè hiatu, ut vanus ille apud HORATIUM promissor; imò  
fidem plenè exsolvit, quodque verissimum est, magnificis promissis longè  
plura præstitit. Nil ergo exoptandum magis quàm ut egregii illius Operis  
reliquæ Partes sine ullà intermissione in lucem prodeant: quo quidem gra-  
tius nihil contingere posse cunctis Rei Litterariæ amatoribus, & inter alios  
præcipuè Canonistis, persuasum habeo.

*Tuus & devotissimus tibi Servus*

*Datum in adibus nostris BISUNTINIS  
anno MDCXXXV.*

ESPIARD DE SAUX.

DOM.